Mr Sims

2

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE FEBRE INTERMITTENTE:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,

GULIELMUS ROWLAND, A. M. HIBERNUS.

Ad diem   Octobris, hora locoque ſolitis.

Sic ut quimus, quando ut volumus non licet.
TERENT. in Andria.

EDINBURGI:
Apud A. DONALDSON et J. REID.
MDCCLXIII.

PATRI SUO OPTIMO,

GULIELMO ROWLAND,

ARMIGERO,

SUMMA PIETATE VENERANDO,

S.

QUEM, chariſſime PATER, prae te ardentiore proſequar amore, prae te majore reverentia colam? tibi enim omnia debeo: in omni etenim meo humanarum literarum curriculo, non ſolum et animos et vires addidiſti, ſed, ut pater indulgentiſſimus, me ſummo ſemper amore proſecutus es, ſollicitaque cura foviſti: ad pedes itaque tuos hoc meum parvum remunerationis pignus, tanquam animi grati monumentum, depono.

UT diu vivas felix fauſtuſque tuis, et poſt vitam optimis beneficiis divinis ditatam, tandem ſerus in coelum redeas, et inter beatos ſedem adipiſcaris, Deum ter optimum maximum ſupplex veneratur

Filius, omni officio devinctus,

GULIELMUS ROWLAND.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE FEBRE INTERMITTENTE.

PROOEMIUM.

UNICUIQUE mundi fabricam perpendenti, divini opificis potentia, ſapientia, et bonitas, ubique ſeſe manifeſtant; nullibi tamen magis eluceſcunt, quam ex corporis humani ſtructura: quandoquidem tamen plurimis morbis obnoxii ſumus, a cauſis tam internis quam externis; ad hos ſanandos, ſaeclis ab antiquiſſimis, culta fuit medicina, qua nulla exiſtit ars magis honeſta, viroque ingenuo magis digna.

APUD veteres, medicinae cultores in numerum deorum relati ſunt; nec mirum; quid enim hominibus magis utile, magiſve admirabile, quam morbos pellere, aegros ſanare, ſanitatemque tueri? Quoniam igitur laudabili academiae hujus illuſtriſſimae inſtituto

receptum ſit, ut unuſquiſque lauream doctoralem ambiens, non ſolum privata ſubeat tentamina, coram viris doctiſſimis, famaque admodum celeberrimis, ſed ſpecimen aliquod diligentiae ſuae in apricum proferat; hiſce legibus obtemperans, de febre intermittente aliquid diſſerere inſtitui.

CAP. I.

Definitio et diviſiones.

ANTIQUI nomen latius extenderunt, quam recentiores; omnes enim febres, ſynochis exceptis, quae aliquam caloris mutationem certis intervallis habent, et nunc exaſperantur, nunc remittunt, *intermittentes* vocabant: eas quoque quae calorem continuum habebant, ſi modo caloris in iis ſit intenſio et remiſſio, eodem nomine inſigniti ſunt *(a)*. Sed apud recentiores ita definiuntur: Febres illae quae per vices impetum remittunt, ut plena απυρεξια inter duos quoſque paroxyſmos

(a) Vid. Galen. 1. epid. com. 3. text. 2.

roxyſmos

roxyſmos intercedat, vocantur *intermittentes (a)*.

In varias claſſes diviſae fuerunt pro tempore ſingulis paroxyſmis intercurrente; ſciz. in quotidianas, tertianas, quartanas, *&c.* Alia autem obtinet diſtinctio apud ſag. Sydenhamum, in vernales et autumnales; a tempore anni quo graſſare incipiunt deſumpta, priores menſe Februario, poſteriores autem in Auguſto incepiſſe obſervavit.

Huic diſtinctioni ſumma attentio prorſus neceſſaria videtur; immo niſi eandem in praxi ſedulo contemplemur, de earum duratione nullam certam prognoſin formare, neque commodo regimine aegrorum corpora curare poſſumus: et quanquam utriuſque tempeſtatis paroxyſmi eandem formam induunt, non dubitat ſummus ille medicus, quin tota ſua natura diſcrepant *(b)*. Sed, ut mihi videtur, in hoc tantum differunt, quod vernales tempore anni accidunt, iis ſolvendis aptiſſimo; et *vice verſa*. Humores enim mali moris, qui hyemali tempore in corpore collecti fuerunt, verno tepore ſolvuntur;

(a) Vid. Boerh. aph. 727.
(b) Vid. Syd. p. 82.

unde videtur anni tempeſtatem naturae adjuvare, in materia morboſa expellenda; poſtquam autem aeſtivo calore exuſta fuerunt corpora, et partes liquidiores difflatae, neceſſario oritur humorum degeneratio: hac etiam tempeſtate, aëris temperamentum fit magis inaequale; praeterea, incauti, caloris diurni impatientes, non ſatis ſibi ipſis veſtes induunt, et frigori veſpertino ſeſe objicere proni ſunt: unde ſatis patet autumnales difficilius ſanari poſſe quam vernales *(a)*. Sed ejuſdem eſſe naturae eſſentialiter, ex ſequentibus ſatis patet; nam in certis epidemiis eandem faciem habent: ſi enim in ver incidat epidemica et intermittens febris, accedente aeſtate miteſcere aut evaneſcere ſolet; ſed iterum ſe eadem prodit ſaepiſſime, accedente autumno, iiſdem ſtipata ſymptomatibus, eundemque omnino induens morem *(b)*.

Hujus febris paroxyſmus in tria ſtadia plerumque dividitur, ſciz. frigoris, caloris, et ſudoris; vel, ut ſag. Syden. habet, exhorreſcentiae, ebullitionis, deſpumationis.

(a) Vid. Van Swieten, vol. 2. p. 508.
(b) Vid. Aut. de recond. feb. interm. nat. p. 56.

Symptomata

Symptomata quibus haec ſtipantur, a nobis nunc ſunt exponenda.

CAP. II. SECT. I.

Primi ſtadii ſymptomata.

AGGREDITUR hicce morbus, oſcitatione, et pandiculatione; de ingenti laſſitudine et debilitate conqueritur aeger; adeſt in dorſo ſenſus quidam verbis vix deſcribendus; ſequitur horror, tremor; concutiuntur dentes; pallore ſuffunditur cutis; ſummum frigus percipitur, attamen revera magis calet corpus *(a)*; dolet caput; difficillima fit reſpiratio, et magna cum anxietate comitatur; nauſea adeſt intolerabilis, cum inani ad vomendum conatu; nonnunquam tamen ipſa vomitio ſordis bilioſae et pituitoſae; urina evacuatur pallida, et ſiti intolerabili vexantur aegri; pulſus fit citatus,

(a) Hoc ipſe confirmatum habui, ab experimentis in noſocomio regali Edinburgenſi thermoſcopio factis, ſub auſpiciis clar. Monro Patris. Vid. etiam Home, princip. med. p. 86. et Cleghorn, p. 146.

debilis,

debilis, parvus, et contractus. Hujus ſtadii, omnium periculoſiſſimi (*a*), duratio incerta: attamen notatu dignum eſt, quo majora pluraque ſimul haec ſymptomata, eo febris pejor, atque, in ſubſequente tempore, calor et cetera ſymptomata pejora (*b*).

SECT. II.

Secundi ſtadii ſymptomata.

FRIGORE recedente, calor ardens et ſiccus corpus occupat; rubeſcit cutis, et vaſa antea collapſa et rigida tumeſcere incipiunt; reſpiratio fit liberior, et minuitur anxietas; ingenti tamen dolore afficitur caput; et non raro delirat aeger; dolent etiam artus; plenior fit pulſus et fortior; permanent ſitis, nauſea, et quandoque vomitus; urina rubra evadit.

(*a*) Qui ex febribus intermittentibus moriuntur, ſi quidem in paroxyſmo pereant, in hoc ſtadio fato fungantur. Syd. p. 79.

(*b*) Vid. Boerh. aph. 749.

SECT. III.

Tertii ſtadii ſymptomata.

ÆGRO fere exuſto, tandem miteſcere incipit calor; cutis fit humida, et denique, ſudore prorumpente copioſo, relevatur *(a)*. Urina nunc ruberrima emittitur, et coloris lateritii ſedimentum deponit; mollis denique invadit ſomnus, et fit ἀπυρεξία. Sed quanquam in intervallis omnino expelli videatur morbus, attamen tranſitionem adeo ſubitam ex ſanitate in morbum, et a morbo in ſanitatem, fieri vix credibile eſt: et ſi attente rem perpendamus, quietem, diebus intercalaribus, omnino perfectam vix remanere inveniemus; corpus enim adhuc languet, frigidiuſculum eſt, facileque inhorreſcit; urina craſſior mingitur, et ſedimentum deponit; non ita viget plerumque appetitus, nec aeque perfecte fit digeſtio aut ciborum concoctio; nec mirum, quando fomes ali-

(a) In paucis tamen per urinam vel alvi fluxum terminatur paroxyſmus. Vid. Cleghorn, p. 146.

quis

quis morbi adhuc reſtat, qui ab uno ad alterum paroxyſmum ſtimuli inſtar urget *(a)*. In autumnalibus graviora ſunt omnia haec ſymptomata quam vernalibus.

CAP. III.

Diagnoſis.

A PRIMO febrium inſultu, num intermittentes ſint num continuae, perquam difficile diſtingui poteſt; non raro enim geminatis et protractis paroxyſmis, larvam continuarum induunt; v. g. ſi tertiana duplicetur; nova fit acceſſio in die ſimplicis tertianae intercalari, tunc quotidianae ſimilis eſt; a qua autem diſtingui poteſt, quia paroxyſmi alternis diebus ingruentes, acceſſionis tempore, duratione, numero, et gravitate ſymptomatum, ſimiles ſunt: et praeterea diverſitas magna inter paroxyſmos ſe mutuo ſequentes plerumque invenitur.

STATUI autem in univerſum poteſt, quod febres ſummo cum rigore incipientes, ex earum

(a) Vid. Aut. de recond. feb. intermit. nat. p. 40.

rum eſſe numero, quae certos habent alternoſque circuitus; praeterea magnum frigus, tremorque ingens, nullo calore interpoſito, per trium aut quatuor horarum ſpatium durans, intermittentem; ſed frigus calorque viciſſim, et tremores parvi continuam potius denotant. Si autem in febribus nullo praemiſſo frigore incipientibus, ſubitus fit paroxyſmorum exortus, cum aegri ſe bene habere videntur; ſi pandiculationes et capitis dolores frigus praeceſſerint; tunc intermittentem, alia ſub ſpecie latentem, concludere licet *(a)*.

VARIAS hujus febris ſpecies primo ineunte paroxyſmo, facile diſtingui poſſe GALENO viſum eſt; ait enim tertianam quidem a quartana qui primo ſtatim die neſcit diſtinguere, neque omnino medicus eſt *(b)*. Sed quanquam ſigna, quae ſingulam ſpeciem comitari obſervavit ſummus ille medicus, de tempore paroxyſmi redeuntis, medicum longo artis uſu peritum, certiorem redderent; prudentia tamen vetat praeſertim juniores, ne, praeſagio nimis celeri, nobiſmet ipſis injuriam inferramus: quapropter, conſulente illuſt. VAN

(a) Vid. Ant. de recond. feb. interm. nat. p. 101.
(b) Vid. Galen. de criſibus, lib. 2. cap. 4.

Swieten, melius fore videtur diagnoſin differre, donec ſequens paroxyſmus indubitatam fecerit.

CAP. IV.

De cauſis remotis.

Inter ſcriptores medicos variae obtinent opiniones, quaenam ſit hujus febris cauſa remota. Nonnulli in ventriculo, ex vitioſa digeſtione, ſive in alimento aſſumpto ſive in fermento digeſtivo haereat vitium, cauſam eſſe volunt; alii non deſunt, qui omnia, quae bilem generant, cauſam eſſe affirmant. Sed inter tot ſententias, nulla mihi videtur adeo rationi conſentanea, ac aëris conſtitutio humida, vel a vaporibus, particulis acribus putreſcentibus refertis, e terra uliginoſa exhalantibus; vel a tempeſtate pluvioſa et nebuloſa, iiſdem particulis imbuta.

Omnibus phyſicis notum eſt, aërem humidum fluidum eſſe ſubtiliſſimum, in poros corporum ſolidiſſimorum ſeſe inſinuans, unde corpus humanum plurimum affici neceſſe eſt.

Si

Si enim in vaſa inhalantia, tam cutanea quam pulmonalia, nimia copia viam inveniat, eorum diametri multum augentur; unde etiam vaſa tranſpiratoria iis parallela jacentia, comprimuntur; quo fit ut perſpiratio Sanctoriana prohibeatur *(a)*: a retenta autem perſpirabili materia, fomitem febrium ſuppeditari monſtrat experientia quotidiana: ſi et etiam aër humidus vaſa inhalantia ingrediens, particulis acribus aut putreſcentibus abundat, alium fomitem praebere poteſt; unde augetur materies febrilis. Hinc in regionibus paludoſis et uliginoſis, endemica, in tempeſtate pluvioſa et nebuloſa, epidemica fit febris intermittens, in temporibus ſiccis aufugit, humidis vero rediens et ſaevior. Hinc etiam ratio patet cur ab exercitio immunes ab hocce morbo ſerventur homines; nam vaſa perſpiratoria ſemper diſtenta tenentur, et aëris humiditas in vaſa inhalantia ingredi non poteſt. Unde miror equidem quomodo in tantum errorem illapſus eſt Prosper Alpinus, ubi affirmat febres intermittentes in aeſtate plerumque fieri, in

(a) Materia perſpirabilis ob aërem humidum atque coenoſum retenta, ad corruptionem valde prona eſt. Vid. de Gort. de perſp. inſenſ. cap. 12. aph. 39.

regione coeloque calidiore et ſicco, *&c.* *(a)*.

In aeſtate equidem non raro hanc febrem graſſari obſervavit cleb. HOFFMANNUS, ſed præcipue flantibus ex auſtro et euro ventis: ratio patet; nam humiditas qua hi venti prae ceteris graveſcunt, praeſertim ſi perſpiratio languet, in vaſa inhalantia facile admittitur. His omnibus igitur rite penſitatis, mihi ultra dubium videtur, aërem humidum febrium intermittentium cauſam eſſe remotam; et ſi, poſt errata quaedam in victu, hic morbus unquam oriri obſervatus eſt, antea praediſpoſitum fuiſſe corpus, ab aliquo anni temporis miaſmate latente, credendum eſt.

CAP. V.

De cauſa proxima.

QUAM difficile eſt hanc rem determinare, et quantum inter ſe diſcrepant medici, tam antiqui quam recentiores, omnibus notum eſt: antequam vero noſtram proferamus ſententiam, non ab res fore ſpero, quorundam medicorum opiniones hic recenſere.

(a) Lib. 6. cap. 1.

NON-

Nonnulli ex flavo urinae colore, et ſordis bilioſae vomitione, in initio paroxyſmi frequentiſſimae, in hepate exiſtere radicem hujus morbi perſuaſi ſunt; et in hac ſententia magis confirmantur, quia in corporibus hoc morbo vita defunctis, ſcirrhoſum inventum eſt hoc viſcus: ſed obſervationibus anatomicis conſtat, initio hujus febris ſalvum et ſanum eſſe hepar; diuturnis vero redditis his febribus, vel male ſanatis, ſubinde ſupervenit ſcirrhus aut tumor hepatis, adeoque eſt productum potius, quam radix morbi originaria *(a)*. Quoad bilioſam vomitionem et flavum urinae colorem, dico, ſi ab hepate male affecto procederent, corticem Peruvianum tam cito urinae colorem reſtituere naturalem, eodemque tempore fluxum bilis nimis copioſum praecavere impoſſibile eſſet, uti monuit acutiſſ. profeſſor noſter Whytt, praelectionibus ſuis clinicis.

Alii, bilis redundantiam aut acrimoniam, febris cauſam proximam eſſe volunt; ſed ſi bilis eſſet cauſa, vim quandam inſolitam neceſſario acciperet; nam icterici huic febris

(a) Etmuller, op. om. p. 222.

ſpeciei

ſpeciei aliis magis non ſunt obnoxii, quanquam in hepate ſtagnat bilis; ſanguinem aliosque humores inficit; nec officio ſolito in ventriculo et inteſtinis fungi videtur; praeterea, quanquam robuſtior ſit aeger, et initio paroxyſmi bilem evomit, cito tamen deſinit, et nil praeter pituitam ejicitur; uti monuit cel. profeſſor noſter MONRO pater, praeceptor meus optimus, in praelectionibus ſuis clinicis.

IMMORTALIS BOERHAAVIUS, inſtaurator ille medicinae, cui ſumma reverentia debetur, ſanguinis arterioſi viſcoſitatem et fluidi nervei inertiam, hujus febris cauſam proximam conſtituit; hinc ait in vaſis capillaribus ſtagnationem fieri, unde ſenſus frigoris; quando vero ſanguinis circuitus magis augetur, ſequitur calor, &c.

MULTI ſanguinis viſcoſitatem hoc in morbo agnoſcunt; praeſertim Dr LANGRISH *(a)*, qui per experimenta ſtatica hanc doctrinam tueri conatur. Viſcoſitas, ſecundum illum, pendet a quantitate nimia globulorum rubrorum: ut igitur major vel minor ſit hujus viſcoſitatis copia, ita citius vel ſerius redire paroxyſmos concludit. Sed, quatenus obſervare mihi licuit, nunquam vel minimam ſan-

(a) Vid. Modern theory and practice of phyſic.

guinis

guinis viſcoſitatem detegere potui; ſi enim a viſcoſitate penderet, rheumaticos et pleuriticos ſaepius infeſtaret; gravidae etiam, quarum ſanguis maxime fit viſcidus, his febribus praecipue obnoxiae eſſe debent; ſed et hydropici, quorum ſanguis eſt aquoſus, minime viſcidus, hac febre laborare poſſunt *(a)*: quod ultra dubium ponit viſcoſitatem nequaquam cauſam eſſe febris; neque ab inertia oriri poteſt; aliter enim languidiores hoc morbo ſaepiſſime affligerentur; quod minime fit.

A TERRORE ſolo etiam hanc febrem ortum duxiſſe, autoribus plurimis confirmatum habemus. Sic caſus apud illuſt. BAR. VAN SWIETEN proſtat, virginis, quae, glire conſpecto, ilico quartanae paroxyſmum paſſa fuit, quae per totam hyemem manſit; accedente autem verno tepore evanuit, et per binos menſes a febre libera fuit: ſed glire mortuo, mala fortuna in veſtes projecto, rurſus in febrem quartanam illapſa eſt.

MIRABILE certe imperium exercet mens in corpus humanum, adeo ut exinde morbi periculoſiſſimi ortum ſuum duxiſſent; quomodo autem ita fit, adhuc in tenebris ſumus:

(a) Vid. Syd. p. 99.

ſed

ſed a terrore ſolo hanc febrem concitari poſſe, niſi antea praediſpoſitum fuit corpus, vix concipi poteſt; aliter enim quoties alicui incutitur metus, toties febre intermittente corripi debet; praeterea, quando virgo febre correpta fuit, non meminit celeb. autor an febris epidemice graſſabatur, necne; novimus enim aeſtate ſaepe evaneſcere hunc morbum, ſed accedente autumno ſaepe redire, eundem omnino morem induentem *(a)*.

Ex dictis igitur concluderem, particulas acres tam in ſanguine detentas, quum jam excerni debuiſſent, quam ab aëre humido ſuppeditatas, ſanguini admiſtas, ſtimulo ſuo naturae conamina ad propriam expulſionem excitantes, cauſam eſſe proximam febrium intermittentium.

Cujusnam ſpeciei et indolis ſint hae particulae acres, difficile dictu eſt; ſed, ut mihi videtur, ejuſdem ſunt naturae ac febrilis materiei in alia quacunque febre, ſciz. ſenſibilia organa ſtimulant, humores putreſcentes reddunt, alias particulas ſibi aſſimilant, ab aucta circulatione mutabiles adeo, ut quae per organa excretoria vix tranſire potuerint,

(a) Vid. Aut. de recond. feb. interm. nat. p. 56.

tandem

tandem per πέψιν, coctionem, parata, organa haecce permeat; quum autem putreſcentes irritantes humores, etiam ſanorum excreti, contineant olidum, rancidum oleum, et ſalem volatilem, ſuſpicarer ex iiſdem componi particulas febrem excitantes.

Quod materies febrium continuarum et intermittentium ejuſdem ſit naturae, probare videntur tranſitiones frequentes ex una ſpecie in alteram: quae enim continua per plures dies fuit, intermittens evadit; et e contrario, quae in initio intermittens erat, malo regimine continua fit. Diverſitas ſola inter haſce febres eſt, intermittentium citior concoctio et excretio materiei febrilis, quam in pleriſque continuis; ſed in illis non fit plenaria excretio critica; reſtant in corpore reliquiae materiei febrilis latentes, quae, alios humores inquinando, tandem febrem iterum excitant.

Materiem febrilem ſanguinem ingredi nemo, puto, inficias ibit; nam non ſolum excretiones criticae per cutem, renes, &c. quas quotidie videre licet, hoc demonſtrant, ſed per omnia fere excretoria ſeſe evacuare invenitur materies hujuſce febris morbifica. Hujus pauca, in noſocomio regio Edinburgenſi, exempla

D demonſtrata

demonſtrata habui a cel. profeſſore MONRO Patre.

In juvene per glandulas ſalivales, in muliere ingenti capitis dolore correpta, per abſceſſum ibi ſupervenientem, materies ſeſe ſubduxit, et a febre relevata eſt. Nonnunquam in articulis ſeſe deponit, rheumatiſmo haud abſimilis : hujus exemplum in juvene hac febre diu laborante, in eodem noſocomio vidi. Alia exempla adducere poſſim ; ſed haec ſufficiant. Ad ſymptomatum igitur explicationem nunc accingamus.

CAP. VI. SEC. I.

Ratio ſymptomatum primi ſtadii.

O*Scitatio, pandiculatio, laſſitudo, debilitas.* Hiſce phaenomenis infeſtam ſuam indolem primum oſtendere incipit materies febrilis ; a circuitu igitur ſanguinis aliquantulum impedito oriuntur haec ſymptomata ; eadem enim ſanis hominibus contingere ſolent, vel a ſomno experrectis, vel nimio labore imprimis inſueto defatigatis. *Oſcitatio* igitur et *pandiculatio* ſunt naturae conamina ad ſanguinis circuitum excitandum.

Senſus

Senſus quidam in dorſo. Hic nullo alio ex fonte deduci poteſt, niſi ab affectione quadam nervoſa: incipit plerumque ubi meſenterii centrum vertebris alligatum eſt, cui validis membranis haeret etiam duodenum: ſi igitur haec a quacunque cauſa ſtimulantur, non mirum eſt, vicinos nervorum plexus ad turbas ſollicitari.

Horror a turbato ſyſtemate nervoſo oriri videtur: "materia enim febrilis naturam "quaſi exagitat; unde horror in corpore ex- "citatur, averſationis ſuae teſtis et index, eo- "dem plane modo, quo potiones purgantes "delicatulis aſſumptae, aut etiam toxica "incaute deglutita, horrores ſtatim inferre "ſolent, aliaque id genus ſymptomata *(a)*."

Tremor. Hic ponit muſculorum vacillationem inter tonum et laxationem, ait immortalis BOERHAAVIUS *(b)*; oriri enim impoſſibile eſſet, niſi a nervis prius in motum actis: hoc a quocunque ſtimulo efficitur; nam ab acicula muſculo infixa, oritur haecce vacillatio. Hinc etiam *dentium concuſſio.*

Cutis pallida. A conſtrictione vaſis cutaneis inducta, ſanguis ad interiora vertitur, et

(a) Vid. Syd. op. omn. p. 79. *(b)* Vid. aph. 627.

arteriolae minimae ſubcutaneae deplentur; unde *pallor*.

Frigus. Nervis in motum actis, tribuenda eſt haec affectio; a ſolo enim cathetere veſicam attingente, ſummum frigus per totum corpus diffuſum fuiſſe obſervatum eſt; idem quoque a calculo biliari, in canalem choledochum impacto, accidit *(a)*: unde veriſimilius videtur, a ſtimulo quodam in quamcunque partem agente, ſenſum frigoris excitari poſſe; nam ſi idem ſit ſtimulus ab acri humore, ac a frigore externo, idem erit ſenſus, nempe *frigoris*.

Dolor capitis. A toto ſyſtemate ita exagitato, non mirum eſt caput inde dolore affici. Vel ex ventriculo male affecto oriri poteſt; nulla etenim pars in toto corpore tam intimam cum omnibus partibus nervoſis et organis ſympathiam alit, ac ventriculus: ſummum autem obtinere commercium inter nervos ventriculi et cerebri, omnibus notum eſt.

Reſpiratio difficilis. A ſpaſmo vaſis inducto, ſanguinem introrſum pelli antea diximus; magna igitur copia, in venis magnis circa cor dextrum, et ſinubus, et pulmone, accumu-

(a) Vid. Aut. de recond. feb. interm. nat. p. 21.

latur;

latur; pulmones etiam, ab aëre inſpirato, difficilius expandi poſſunt, ob ſpaſmum et vaſa ſanguine repleta; hinc reſpiratio difficilis, et eodem tempore *anxietas*, quia cor ſanguinem cavis ſuis contentum pellere nequit.

Nauſea, vomitus. Pleriſque febricitantibus, praecipue ſi intermittens ſit morbus, ſupervenit nauſea et vomitus, quibus indicatur irritatio ventriculi: ſed an ſtimulus haereat in vaſculoſiſſima hujus viſceris fabrica, an ſit a contentis in ipſius cavitate, an ab utriſque, non ita certo dignoſcere licet. In primo intermittentis paroxyſmo, nauſeam potius ab humoribus in vaſis contentis quam in ventriculo excitatam, ſuſpicarer: ſed quando fit evacuatio critica per cutem et renes, nullus dubito quin larga etiam fit ſecretio in viam alimentarem. Ubi igitur erit fomes latens morbi, et in quibuſdam aegrotantibus, depurato ſanguine, forte ſolus fomes; hincque ratio reddi poteſt, cur a terris abſorbentibus deglutitis ſaepius ceſſant febres intermittentes.

Urina pallida. In hoc ſtadio vaſa renalia aeque ac cetera conſtringuntur; vis cordis minuitur, et potus ſaepe magna copia ingeritur, unde ſanguinis pars tantum tenuiſſima

per

per renes tranſit; hinc pallida evadit urina.

Sitis. Ab immeabilitate vaſorum haec deduci poteſt; cum enim totum corpus undique perſpirabile ſit, liquidum tenuiſſimum per vaſa exhalantia pulſum, omnia humectat; ubi vero hoc deficit, vel ab aliqua cauſa prohibetur, ita ut per vaſa tranſire nequeat, adeſt ſiccitas; hanc autem ſemper comitatur *ſitis.*

Pulſus citatus, debilis, parvus, et contractus. A copia ſanguinis circa cor dextrum collecti continuo irritatur, celeriter palpitat, et, ſtimuli impatiens, ſeſe contrahit, antequam ventriculi ſui implentur: unde pulſus *citati* quidem fiunt, ſed *debiles* ſimul et *parvi,* quia copia ſanguinis per arterias expreſſi, illas dilatare non valet. Ad hoc quoque conducere poteſt ventriculus male affectus; quodcunque enim hoc viſcus ingrata ſenſatione afficit, cor magis irritabile reddit *(a).*

SECT. II.

Ratio ſymptomatum ſecundi ſtadii.

CAlor *ardens et ſiccus.* Cor denuo ſtimulo excitatum, ſanguinem per arte-

(a) Vid. cel. Whytt tent. phyſ. p. 190.

rias

rias nunc valide propellit; vaſa autem a ſpaſmo adhuc contracta, ſanguinis impulſum plurimum reſiſtunt; unde attritus fit magnus, qui ſemper calorem excitat, *ſiccus* tamen, quia vaſa perſpiratoria nondum aperta ſunt.

Cutis rubedo. Ab aucto ſanguinis impetu, vaſa diſtenduntur, et fortaſſe in vaſa aliena propellitur ſanguis; inde *rubedo*, et hinc etiam *vaſorum tumor.*

Reſpiratio liberior. Quia ſanguis nunc per pulmones libere tranſit; minuitur etiam anxietas, quia obſtacula, quae ſanguinis ex corde egreſſum prohibebant, omnia decreſcunt.

Ingens capitis dolor. Ab aucto ſanguinis impetu, plurimum diſtenduntur omnia vaſa; unde in cerebrum fit impetus; hinc *dolor capitis*; et a velocitate ſola violentiore facta, adeo nonnunquam turbantur nervi, et etiam medulla cerebri, ut inde inducatur delirium; ſordes etiam circa praecordia collectae delirium quandoque inferunt, ait immortalis BOERHAAVIUS: quod etiam confirmatur ex obſervationibus illuſt. VAN SWIETEN, qui ſe vidiſſe, unico vomitorio exhibito, et hac ſaburra excuſſa,

cuſſa, plures delirantes reſipuiſſe, affirmat *(a)*.

Plenior ſit pulſus et fortior; quia cor nunc fortius ſe contrahit, et magnam ſanguinis copiam per arterias propellit.

Manent ſitis, nauſea, et quandoque vomitus. Ab humoribus nondum penitus ſolutis, vel a vaſculis exhalantibus nondum apertis, reſtat *ſitis*; ſaepe etiam in primis viis haeret putrida bilioſa colluvies, quae calore febrili mota, et pejor reddita, ſitim producere valeat *(b)*: ab hac etiam procedunt *nauſea* et *vomitus*.

Urina rubra. Haec ob ſanguinis majorem contra vaſa attritum oritur, et fit magis minuſve colorata, pro varia febris intenſitate, et potus aſſumpti copia.

SECT. III.

Ratio ſymptomatum tertii ſtadii.

M*Iteſcit calor, humeſcit cutis, et ſudor copioſus prorumpit.* Quanquam nunc ſanguinis circuitus augetur, tamen relaxantur adeo

(a) Vid. com. in. Boerh. aph. 701.
(b) Vid. Van Swiet. com. in. Boerh. aph. 750.

vaſa,

vaſa, ut minor fiat attritus; unde neceſſario miteſcit calor: a copioſo autem potu magna liquidi tenuis copia abundat ſanguis; et ut, ſecundo ſtadio, liber humorum per omnia vaſa rediit circuitus, nunc cocta materies, per poros cutis, jam calidae, et lecti tepore fotae, facilem egreſſum invenit, et ſub ſpecie ſudoris erumpit.

Urina ruberrima ſedimentum lateritium deponit. Nunc vaſis omnibus apertis, partes ſanguinis tenuiores per poros cutis eliminantur, et craſſiores per renes tranſitum facile inveniunt; hinc oritur *rubedo urinae.*

Nonnulli hunc colorem produci dicunt a bile et partibus ſanguinis oleoſis immixtis et ſubactis; et ab his phaenomenis, bilem febris cauſam eſſe immediatam affirmant: ſed in febribus vernalibus hoc ſedimentum lateritium ſaepe deeſt *(a)*; imo et in primis autumnalium paroxyſmis, talis urina quandoque non invenitur *(b)*; praeterea in ſcorbuticis ejuſdem omnino generis apparet, nulla tamen febre intermittente laborantibus *(c)*.

(a) Vid. Aut. de recond. feb. int. natura, p. 112.
(b) Vid. Van Swiet. com. in Boerh. aph. 751.
(c) Vid. Boerh. inſt. § 1007.

His igitur brevitate qua potui peractis, nunc de paroxyſmis ſtatis temporibus redeuntibus, pauca dicere haud ingratum fore ſpero.

CAP. VII.

De cauſa qua fit ut febris ſtatis temporibus redeat.

AD hujus rationem inveſtigandam, quidam volunt, partes corporis humani ita formari, ut certis legibus ſubjici poſſint. Ita enim ratiocinantur : Si ſtata quadam hora noſmetipſos expergiſci aſſuefaciamus, quanquam hora inſolita lectum petamus, ſemper votis reſpondet natura : aiunt etiam, appetitum ciborum ita regi poſſe, ut certa hora reſuſcitaretur : haec etiam febribus intermittentibus aeque applicabilia eſſe dicunt. Quod minime datur : quomodo, quaeſo, his principiis de paroxyſmorum reduplicatione, vel de tertianarum tranſitu in quartanas, *&c.* rationem reddere probabilem poſſunt ? Pro certo rationi magis conſentaneum eſt, a materie morbifica, quae febrem concitabat, nondum penitus expulſa, hunc effectum deducere :

ducere: hujus enim exemplum habemus in febre continua, imperfecta criſi judicata; expulſa enim eſt materiei mobificae magna copia, ideoque per aliquod tempus conceditur quies; ſed adhuc reſtat hujus fomitis quaedam pars, quæ alios humores naturae ſuae aſſimilando vires acquirit, donec rurſus febrem concitare valet *(a)*.

HANC ſententiam amplectitur quoque celeb. HOFFMANNUS, ubi affirmat, quod interpoſito aliquo tempore redeat paroxyſmus: ita concipiendum eſt; materies morbifica, cujuſcunque ſit generis, in ventriculo vel duodeno depoſita, non ſimul et ſemel ad ſanguinem et ſyſtema nervoſum defertur; quando vero ab illo ſatis inquinatur ſanguis, excitatur paroxyſmus, ſed reſtat hujus fomitis quaedam pars, quae continuo ſuccreſcit, et nutritionem acquirit, donec certo tempore novum paroxyſmum concitare valet *(b)*.

(a) Vid. Aut. de recond. feb. inter. nat. p. 52.
(b) Hoff. op. om. tom. 6. § 20. & 21.

CAP. VIII. SECT. I.

Prognoſis.

SALUBRES plerumque fiunt febres intermittentes, et niſi duplicatis et protractis paroxyſmis, in continuitatem vergunt, raro funeſtae; imo enim a malis inveteratis ſaepe corpus liberant, aliis remediis incaſſum tentatis.

MAGNI tamen refert, quo anni tempore graſſantur. Vernales, ait ſag. SYDENHAMUS, ſemper fere ſalutares, rariſſime diuturnae; imo quanquam peſſime tractantur, vix lethales evadunt *(a)*: autumnales e contrario ſaepius periculoſae, praeſertim ſi epidemice graſſantur, vel aetate provectiores, aut pravo corporis habitu praeditos, adoriantur.

SECT. II.

TERTIANA febris non raro ſalutaris evadit, et poſt ſeptimam acceſſionem plerumque recedit, aut ad ultimum nono circuitu ju-

(a) Syd. op. omn. p. 84.

dicatur.

dicatur. Si urina nebuloſa initio appareat, quartum circuitum vix excedere invenitur; ſi autem primo vel ſecundo, album deponitur ſedimentum, laeve et aequale, tertio circuitu plerumque terminabitur. Haec febris, omnium breviſſima et mitiſſima, facile ſanatur; ſed male tractata, non ſolum difficile abigitur, ſed inſanabilis interdum redditur *(a)*.

SECT. III.

QUARTANA omnium longiſſima fit, ceteris tamen facilior, nec jugulare ſolet; ſin ſecus evenit, corpus aut ſenile fuit, et viribus jam exhauſtum, aut nimis tenerum. Sex menſium ſpatio plerumque terminabitur, nonnunquam trium; ſi ultra procedat, annua fit, et gravitate et contumacia ſecuriorem decurſum compenſat. In autumno omnia medicamenta eludere ſolet; et opprobrium medicorum dicitur; raro admodum prius recedit, quam ſolſtitii aeſtivi tempore; ſi vere accedat, facilius ſanatur.

POST quartanas nullis validis remediis tur-

(a) Vid. Trallian. lib. 12. cap. 6.

batas, ſed verno tepore ſolutas, corpus firmius evadit; et morbis quam antea minus obnoxium *(a)*. Quartana neminem jugulare ſolet; ſed ſi in quotidianam tranſeat, in malis aeger eſt *(b)*.

SECT. IV.

QUOTIDIANA in longum fere protrahitur, nec prorſus ſine periculo: ſi autem cito apparuerit ſudor, minus diuturna erit et periculoſa, coctione tamen praecedente *(c)*; tertianam tantum plerumque longitudine excedit, quantum a quartana exſuperatur: ſi ſudor declinante paroxyſmo placide erumpens, et urina copioſior cum ſedimento ſecedens, vim paroxyſmi pacent, felicem ſolutionem denunciant; e contrario, ſi febris diuturna fiat ulla abſque excretione, tunc labefactantur viſcera, et cachexiae, febres lentae, hecticae, tabes, *&c.* ſuccedunt *(d)*.

(a) Vid. Van Swiet. com. in Boerh. aph. 754. *(b)* Vid. Celſ. lib. 3. cap. 15. *(c)* Nicol. Piſo de feb. cog. et cur. p. 448. *(d)* Hoff. tom. 6. cap. 3. § 19.

SECT.

SECT. V.

POSTREMO, de his febribus in genere notandum eſt, ſi epidemice graſſentur, pejores fiunt quam ſporadicae: quando paroxyſmi tempus ſolitum anticipant, vel tempus frigoris febrilis breve ſit, et caloris longum, haec ad continuitatem diſpoſitionem indicant; quando vero poſt tempus uſitatum accedunt, cito diſceſſuros ſperare liceat; ſi, declinante morbo, circum labia et partes oris interiores, puſtulae erumpant, et urina colorem naturalem recuperet, turbida appareat, vel album rufumve ſedimentum deponat, haec circa tertium vel quartum periodum aegrum cito convaleſcere denunciant.

E contrario, quando circa hoc tempus urina evacuatur limpida, et eruptiones quamplurimae cutem occupant, urticarum puncturas referentes; quando paroxyſmi protrahantur, et delirio, comate, anxietate, vel lumborum dolore comitantur, ſi aeger a cibis horreat, et in intervalis vertigine affligitur, haec omnia periculum indicant. Sed ſi a naribus diſtillent

diſtillent guttae ſanguinis, aut ſordes ſurſum deorſumve evacuentur; ſi cutis flavo colore tingatur, et urina plurimum foetet; ſi inſtante paroxyſmo adſint ſuſpiria, gemitus, et ſingultus, ſemperque aeger jaceat ſupinus, ore aperto, ventreque mirum in modum tumefacto, conſtipato, vel faecibus involuntarie emiſſis; haec ſummum periculum praeſagiunt: nam quanquam cum paroxyſmo plerumque recedunt, ſequenti tamen periodo, duplici vigore ſaepius redeunt, et in morte deſinunt.

Tonsillarum inflammatio infauſta quoque habetur. Sed ne ultra limites hujuſce generis opuſculo vulgo poſitos erremus, haec de prognoſi dixiſſe ſufficiat.

CAP. IX. SECT. I.

Ratio medendi.

Solo debito uſui ſex rerum non naturalium, febres intermittentes, praecipue vernae, ſponte plerumque cedere ſolent, licet nulla alia adhibeantur medicamenta, uti docet experientia quotidiana.

Ad

Ad ſtatum igitur aegri, in tertio periodo, ſummam attentionem adhibere debemus: ſi enim iſtius paroxyſmi neque longius protrahantur, neque ſymptomatibus, quam antea periculoſioribus, comitentur; ſi aeger adhuc vigeat, neque a morbo multum devictus ſit, et ſigna coctionis in urina appareant; natura plerumque per ſe, circa periodum quartum vel quintum, morbum expellere valebit; quod per quaſdam evacuationum naturalium plerumque fit.

Sed ſi res ita non ſe habeat, tunc ad corticem Peruvianum recurrere neceſſe eſt: antequam vero ſanationem per hoc remedium aggrediamur, medicamenta praecipua, quibus haec febris cedere ſolet, breviter attingamus.

SECT. II.

Vomitoria.

Ex ſymptomatibus patet, colluviem quandam in primis viis hoſpitare; hanc quantocyus expelli debere, docet natura; " nam in iis quae medicamento fiant pur-

gationibus, talia e corpore educenda ſunt, qualia etiam ſponte prodeuntia, juvant *(a)*."

Ad hunc ſcopum attingendum, nullum fortaſſe remedium inter omnes fere medicos tantas accipit laudes ac emeticum; ſed orta eſt magna lis, quo tempore exhiberi debet.

Nonnulli ingruente paroxyſmo emeticum adhibuerunt, nec mala fortuna; nam vomitionem a natura ſponte inceptam, optime promovent, et, ut hoc tempore maxime mobilis ſit materies morboſa, facilius excuti poſſe probabile admodum videtur.

Hanc methodum, exitu feliciſſimo, ſecutus eſt medicus peritus Alexander Thomson: ille enim, quando prima ingruentis paroxyſmi veſtigia obſervavit, emeticum ſtitam propinari juſſit; ſed ſi frigus febrile in validum tremorem abſque nauſea cito tranſibat, tunc emeticum, donec tempore caloris nauſeare incipiunt aegri, deferebat. Unicum vomitorium ita exhibitum febrem fugare obſervavit; vel ſi alter paroxyſmus invaſerit, emetico rurſus exhibito, adeo devicta fuit, ut vix perceptibilis eſſet *(b)*.

A Febribus ſaepe fluidorum accumulatio

(a) Hippoc. aph. 2. § 4. *(b)* Med. eſſays, vol. 4. p. 327.

in

in viſceribus oritur, hinc obſtructiones: ad promovendum igitur liquidorum curſum, plurimum confert emeticum; nam ejus ſtimulo ſollicitantur nervi, iiſque in motum actis, totum corpus motibus exagitatur, unde propelluntur fluida. Denique vero omnino utilia ſunt, ſi febris rebellis fieret; remediis enim certioribus locum praebent, quae aliter incaſſum adhiberentur, uti poſtea dicemus; nam "in eo imprimis impoſita eſt emetici vis, ut certam tutamque viam febrifugis paret *(a)*."

SECT. III.

Sudorifica.

"SAEPE ſolo fortiore corporis curſu, ſaltu, equitatione, ad ſudorem uſque exercitatione, nec non prolecto in balneo ſudore aut largiore vini potu, intermittentes admodum rebelles expugnantur et abiguntur *(b)*."

Si tres vel quatuor horas ante frigoris invaſionem concitetur ſudor, omnino poſſe averti

(a) Vid. Aut. de recond. feb. interm. nat. p. 151.

(b) Vid. Hoff. op. omn. tom. 6. § 28.

paroxyſmum, plurima proſtant exempla; ſudorificum autem ſerius propinatum, inefficax evadit. Ad ſudorem concitandum optime conducit ſpiritus cornu cervi. Sarſaparillae et bardanae decoctum, cum ſale ammoniaco, hunc ſcopum etiam optime attingit; ingurgitari tamen debet, ad quantitatem quinque aut ſex librarum inter paroxyſmos, ita ut ante tempus paroxyſmi redeuntis, in lecto decumbat aeger, inde enim facilius erumpit ſudor; quando vero madeſcere incipit cutis, non deſiſtendum, ſed promovendum ejus effectum per aliquot horas oportet. Aquae calidae etiam magna copia deglutita, frigus omnino ſufflaminare poteſt.

Hisce vero remediis ſudorificis, addi poteſt opii parva copia, non ut ναρκοσιν inde inducamus, ſed ut repetitis vicibus parca doſi nervorum turbas pacaremus, et eorum mutationes, quae tempore frigoris fiunt, impediamus; ita tollitur ſaepe paroxyſmus; ſin minus, ſequentibus diebus repetantur eadem, donec febris abigatur *(a)*.

Similem methodum obſervaſſe videtur Celsus *(b)*; ſub tempus enim horroris in

(a) Vid. Van. Swiet. com. in Boerh. aph. 761.
(b) Lib. 3. cap. 13. p. 142.

balneum

balneum aegros deducebat, et ut bene operiantur juſſit. Eadem praxis apud SYDENHAMUM proſtat, et feliciſſimo cum eventu, ut ipſe teſtatur; ſed quando tertianae et quotidianae recentes fuerunt, et continuitatis vicinia adhuc haerentes, nullumque certum typum induentes, per ſudorifica curationem moliri, periculoſum eſſe obſervavit *(a)*.

SECT. IV.

Venaeſectio.

HAEC totum ſyſtema debilitat, et ſi langueat vis vitalis, noxia evadit; ad eam igitur recurrere non debemus, niſi nimia ſit febris incandeſcentia: ſed ſi adſit inflammatio, vel calor urens aut capitis acerrimus dolor aegros vexent; ne gravior fieret febris, et viſcera laedantur, metuendum eſt: tunc venam aperire debemus.

IN initio hujus febris ſanguinem mittere ſolebat cel. CLEGHORN; et ſi dolor capitis, delirium, vel dolores inteſtinorum multum urgerent, venam rurſus pertundebat, qua vim paroxyſmorum aliquoties imminui, et operationem

(a) Vid. Syd. epiſt. reſponſ. 1. p. 298.

tionem emeticorum et catharticorum minus periculoſam fieri, invenit: praeterea, ſoporem, dyſpnoeam, inflammationeſque viſcerum abdominalium, prohiberi, vel ſaltem mitigari obſervavit *(a)*.

Haec a cel. autore de recond. feb. interm. nat. ulterius confirmantur: nam unica ſola venaeſectione, febres duplices tertianas in ſimplices, abire vidit; ſed, quod majoris momenti, paroxyſmos ſequentes, mitiores fieri vel ſerius redire, et ſymptomata leviora reddi, ſemper invenit *(b)*.

Quo tempore his in febribus celebrari debet venaeſectio, magna orta eſt lis. Apud antiquos, ſi vehemens febris urgeat, in ipſo ejus impetu, ſanguinem mittere hominem jugulare eſt *(c)*. Sed nunc tutum eſſe hanc operationem quocunque tempore paroxyſmi, conſtat; ipſo tempore frigoris febrilis excepto, vel quando cutis ſudoribus criticis operitur, nam a ſanguinis miſſione tunc inſtituta duplicantur paroxyſmi, et in pejus ruunt *(d)*.

(a) Vid. Cleg. diſeaſes in Minorca, p. 180.
(b) p. 143.
(c) Vid. Celſ. lib. 2. cap. 10.
(d) Bagliv. de prax. med. lib. 2. § 6.

SECT.

SECT. V.

Cathartica.

IN curationis decurſu, ſi ſponte accedant evacuationes alvinae, facilius tollitur morbi fomes; ad ſordes igitur tubi inteſtinalis expellendas, adhibentur *cathartica*; praeterea, ſi alvus ſit laxior, laxiores neceſſario fiunt partes circumjacentes, unde ſanguis per vaſa facilius tranſit; bilis his in febribus tantopere ſpectanda, per colatoria ſua libere elabitur; et urina per vaſa renalia viam facile invenit.

Saepissime incaſſum adhibentur remedia ſpecifica dicta, niſi praemiſſis evacuantibus; poſtquam vero evanuerunt paroxyſmi, niſi alvo aperto in limine proſtare ſolent; nec ullo alio modo abigi poſſunt, quam cathartico leniore febrifugo conjuncto: quapropter, ſi alvus ſit tumida vel nimium conſtipata; ſi urinae craſſiores et rubrae appareant; ſi denique adſit cachexia, ab obſtructionibus orta; febrifuga prius nullius ſunt momenti, quam haec impedimenta evacuantibus ſoluta ſunt.

Propinari

Propinari autem non debent cathartica, vel frigoris vel caloris tempore; nam conſtrictis frigore partibus, vel calore exagitatis, alvus laxari vix poteſt: ſed plurima exinde oriuntur mala; exhiberi autem debent paucas ante paroxyſmi acceſſionem horas. Sed haec generatim dixiſſe ſufficiat; alia remedia dicere potui, amara ſciz. ſales neutros, terras abſorbentes, *&c.* Sed praecipua meminiſſe ſat eſt; et ne ultra limites opuſculis hujus generis vulgo poſitos erremus, et ut parum mihi reſtat temporis, ad uſum corticis Peruviani nunc accedamus.

SECT. VI.

Curatio per corticem Peruvianum.

IN hoc morbo tractando praepropera corticis exhibitio, gravia non raro induxit ſymptomata; et fruſtra operam impendunt, qui ſola corticis ope moliuntur; niſi regimine debito, in ſtatum ad effectus medicamenti recipiendos idoneum, reducantur aegri. Si curationem harum febrium per febrifuga, ait

Baglivius,

Baglivius *(a)*, ſtatim incipies, in quamplurima mala aegrum praecipitabis? Antequam vero hoc remedium divinum tuto exhibere poſſumus, ad ventriculi inteſtinorumque ſtatum et conditionem accurate proſpiciendum eſt: ſi enim male ſe habeant, vel humoribus vitioſis ſcateant, tunc a cortice Peruviano felicem ſperare curationem non licet; imo prius exhibere non auſi ſumus (niſi multum debilitantur aegri), quam haec obſtacula removentur. Hunc ſcopum optime attingunt emeticum, et ſales deterſivi, vel ſoli vel cum accommodato laxante conjuncti.

Si viſcera abdominalia obſtructa ſunt, ſolvi debent ſalibus neutris, rhabarbaro, cum ſale tartari permixto, radicibus aperientibus, et exercitio debito.

His igitur praemiſſis, corticem tuto exhibere poſſumus, et ita adminiſtrari debet, ut inter paroxyſmos cort. pulv. uncia una cum drachmis duabus ſalis ammon. deglutita ſit: ſi aeger corticem ſurſum deorſumve evacuet, tunc laudani liquidi parva copia, ſingula quaque doſi miſceri debet; ſi hac methodo corticem

(a) Vid. prax. med. lib. 2. § 6.

 non

non facile deglutire poſſit, decoctum corticis turbidum cum laudano forma clyſmatis per anum injici debet. Ita non raro ſanantur infantes. Poſtquam vero ceſſaverunt paroxyſmi, doſis quater in die ſufficit, et ſenſim ſenſimque imminui debet, donec ſeptimana elapſa eſt; tunc pulvere corticis cum amaris uti oportet, ut recurſus praecaveatur. Ad hunc ſcopum attingendum, equitatio et vinum rubrum Gallicum optime proſunt; corticis enim operationem mirifice adjuvat motus et exercitatio corporis; quibus, ſaluberrima ad febrem fugandam, perſpiratio inſigniter promovetur, et omnis ſuſpecta adſtrictio aut humorum coagulatio prohibetur *(a)*.

Cel. Mead parvam rhabarbari portionem cortici addere, omnino neceſſarium viſum eſt; ita ut bis ſaltem de die alvum deponat aeger, poſtquam vero rhei drachma una, vel drachmae duae deglutitae fuerunt, catharticum omiſit, et ſolum corticem adhibuit: hac methodo corticem magis efficacem evadere, cachexiam vel hydropem praeca-

(a) Hoff. tom. 6. p. 39.

veri,

veri, febremque recurrere minus pronam, ſemper invenit *(a)*.

Hisce denique quae ad medelam ſpectant, ea concinnitate quae in nobis erat, majore fortaſſe, quam meruit rei dignitas, expeditis; reſtat, ut praeceptoribus meis ornatiſſimis, ſemperque admirandis, ob utiliſſima praecepta, ſtrenuamque in docendo diligentiam, gratias quam maximas ex animo referam: et ſi difficilia auſus, parum perficere valuerim, ſcribendi inſuetus; ut juveni, ut tyroni denique ſuo condonent, precor.

(a) Vid. Mead med. praecept. et monita, § 8.

FINIS.

CORRIGENDA.

p.	*l.*	
16.	3.	*lege* celeb.
21.	2.	*lege* permeant
29.	22.	*pro* is *lege* cis
38.	16.	*pro* ſtitam *lege* ſtatim